

tionem Christi, solum docent. in Christo non ita esse dividendas adorationes, ut una ad Christum, alia ad Verbum pertinere putetur, hoc enim ad errorem Nestorii pertinet; et ideo recte dicunt una et eadem adoratione adorari, quoniam, qua adoratione adoratur Verbum, adoratur Christus, et e converso, quia est unus et idem, et ideo omnis adoratio ad unum et eundem pertinet, et ideo una est; quod aliis verbis D. Thomas dixit, *adorationem Christi esse unam ex parte rei adoratæ, licet possit esse multiplex ex rationibus adorandæ*. Ex quo fit, sicut, quando adoratur Christus adoratione patriæ, coadoratur humana natura propter divinam, ita, si adoretur adoratione hyperdulæ, coadorari divinam naturam, licet ratio adorandæ sit humana, seu dignitas ejus. Nihil enim obstat quominus id, quod excellentius est, si solum concomitanter et propter conjunctionem cum inferiori natura adoretur, inferiori aliqua adoratione coli possit, quia ratio adorandæ inferior est, et adoratio cum illa ratione, in qua nititur, commensuratur. Sicut inter homines, si idem sit imperator, et dux, si tantum ut dux ducali honore adoretur, quodammodo simul coadoratur materialiter imperatoria dignitas inferiori adoratione.

14. Secundo dicitur, quamvis hæc adorationes Christi ex rationibus adorandæ speculative recte distinguantur, practice tamen ac moraliter semper esse Christum perfectissima adoratione patriæ colendum, quia unusquisque simpliciter adorari debet perfectissimo honore ratione suæ supremæ excellentiæ sibi debito, sicut rex semper tractatur regio honore, non ducis aut comitis. Observavit autem hoc loco Cajetanus, præsertim id observandum esse in publica et communi Ecclesiæ adoratione, nam in interiori et privata, quæ solum inter hominem et Christum intercedit, si quis recte sciat distinguere rationes adorandæ, poterit interdum uti aliqua ex dictis adorationibus suo arbitrio et devotione; homines enim externa vident, et de exterioribus iudicant, Christus autem Dominus intuetur cor, et intentionem cognoscit.

15. *Dubium.* — *Responsio.* — Sed quæret tandem aliquis, cum Christus sit perfecte unus, ex duplici constans natura, cur non intelligamus unam esse illius excellentiam, ex utraque natura resultantem, atque hoc modo unam tantum esse adorationem illi adæquatam, tam ex parte personæ, quam ex parte naturæ. Respondetur rationem esse facilem præ-

is quæ D. Thomas tradit, quia, licet persona sit id quod adoratur, ratio tamen adorandi est natura seu excellentia ejus; in Christo autem ex duabus naturis non fit una, et ideo neque in illo est una beatitudo, neque una tantum gratia vel sapientia; et propter eandem causam non est in Christo una tantum excellentia, vel ratio adorandi. Neque enim fieri potest ut ex multis illis rationibus una componatur, quæ sit veluti fundamentum unius mixtæ et compositæ adorationis, quia unaquæque earum est completa, et integra in suo genere, et diversi ordinis ab alia, et quælibet per se sumpta reddit totum adorabile, specie adorationis sibi accommodata; et ideo quot sunt rationes adorandæ, tot debentur adorationes. Sicut e contrario personæ divinæ, licet distinctæ sint, unica tamen adoratione sunt adorabiles, quia excellentia simpliciter, et ratio adorationis unica est in omnibus illis, ut recte hic dixit D. Thomas, et 2. 2, q. 81, art. 3, ad 4; et in 3, d. 9, art. 1, q. 3, ad 1.

SECTIO III.

Utrum humanitas præcisa a Verbo possit adorari, et qua adoratione.

1. *Titulus questionis declaratur.* — Duplex potest esse sensus hujus questionis: prior est de humanitate, quæ re ipsa unita est Verbo, et perseverante unione, an, scilicet, non obstante illa unione, possit sub aliqua consideratione adorari, adoratione videlicet ad ipsam solam, ut a Verbo præcisam, terminata. Alter sensus est hypotheticus, si hæc humanitas, quæ nunc est unita Verbo, separaretur ab illo, an esset adorabilis. Alia vero quæstio etiam ex hypothesi, scilicet, si antea extitisset quam esset unita, an esset adorabilis, non habet locum, quia tunc pro eo tempore quo non fuisset unita, eadem ratio esset de illa quæ de aliis puris hominibus. Quæstio ergo proposita præcipue intelligitur in priori sensu; breviter tamen expediemus illam etiam in posteriori, ad finem sectionis.

2. *Prima opinio.* — *Fundamentum.* — Prima itaque sententia docet humanitatem unitam Verbo, vel nullo modo, vel non decenter posse coli sine Verbo. Quæ sententia, et fere ejus fundamentum in hunc modum explicari potest. Nam vel hæc humanitas adoranda est propter deificationem quam habet ex unione, vel propter sanctificationem quam habet ex gratia et donis creatis. Priori modo recte quidem adorabitur, sed non adorabitur præ-

cisa a Verbo; nec nisi adorato Verbo, atque adeo eadem adoratione, qua ipsum Verbum adorabile est; quia humanitas deificatur et sanctificatur hoc modo per ipsum Verbum, seu divinitatem sibi unitam, ut supra, q. 7, visum est, ita ut ipsa deitas sit veluti causa formalis talis sanctificationis; ergo, si humanitas adoratur propter hunc effectum quasi formalem, ad illum terminatur adoratio; ergo et ad formam ipsam, quæ est deitas. Quomodo enim potest actus terminari ad effectum formalem, quin terminetur ad formam? Igitur sub hac ratione non potest humanitas adorari nisi adorata divinitate. Si vero consideretur humanitas ut sanctificata per gratiam creatam, posset quidem hoc titulo solo adorari, si esset separata a Verbo; tamen, postquam conjuncta est, non potest illo solo ac præciso titulo decenter adorari, vel quia, cum non sit suppositum, non est adorabilis, quia adoratio per se tendit ad rem, prout a parte rei existit, et ita tendit ad suppositum. Vel certe quia, quando res est adorabilis superiori titulo et ob majorem excellentiam, non decet illam privare excellentiori adoratione, et solum inferiori illam venerari. Cum ergo humanitas Christi, prout nunc existit, habeat excellentiorem sanctificationem quam sit illa creata, et ob illam sit digna altiori adoratione, non decet eam colere inferiori adoratione, et ob solam excellentiam pure creatam. Sicut injuriam faceret regi, qui, prætermissa regali titulo et honore, eum ut ducem seu comitem tractaret, eo quod simul rex, et dux, ac comes existat.

3. *Quos pro se antiquos auctores afferant primæ opinionis patroni.* — Referuntur pro hac sententia ex Scholasticis, Bonav., in 3, d. 9, a. 1, q. 1; Albert., a. 9; Richard., a. 2, q. 1; et Major, q. 1, ad 4 cont. 4 concl. Sed hi auctores solum possunt pro hac opinione referri, quia non satis expresse docent contrariam, dum disputant de adoratione humanitatis Christi. Nam Bonaventura, distinguens varios modos considerationis et adorationis humanitatis Christi, unum esse ait, quo consideratur ut pars secundum se, et non ut unita. Et hoc modo ait non deberi illi adorationem patriæ, sed dulciæ; inferius vero dicit, quia caro Christi nunquam est separata a Verbo, ideo semper considerandam esse ut conjunctam, semperque esse adorandam patriæ, licet humanitati per se consideratæ non debeatur nisi dulcia. Non tamen negat posse sic considerari, nec dicit esse per se vel in-

trinsece malum sic considerari et adorari. Albertus autem distinguit similiter plures modos, inquitque: *Tertio consideratur vane, secundum solum intellectum denudata a deitate, et sic adoranda est hyperdulia*, ubi quod ait, *vane*, non significat indecenter aut omnino otiose id fieri; alioquin non diceret sic consideratam esse adorandam hyperdulia, neque quoad hoc approbaret opinionem id asserentem, quod statim facit; intelligere ergo videtur idem quod præcise, et non plene, prout in re est. Richardus vero, et Major, nihil ad rem præsentem dicunt, et potius favere possunt contrariæ sententiæ, ut infra ostendam. Citantur præterea pro hac sententia Clichtovæus, lib. 2 de Euch., c. 10, n. 5 et 6; Cather., opus. de Adorat. imag., col. 4; Walden., tom. 3, c. 119, ad finem; Claud. de Sainctes, repet. 9 de Euch., c. 3. Sed hi auctores, si attente legantur, non disputant de puncto quæstionis speculativo, quem nunc tractamus, sed declarant adorationem humanitatis, quæ, moraliter loquendo, et practice est in usu; aliqua etiam interdum attingunt, in quibus favent contrariæ sententiæ, ut mox videbimus. Denique (quod caput est) afferuntur pro hac sententia plura Conciliorum et Sanctorum Patrum testimonia, quæ infra commodius proponemus, ut verum eorum sensum aperiamus.

4. *Secunda opinio, quæ ab auctore approbatur.* — Contraria sententia est frequentior inter Scholasticos; omnes enim, qui distincte in propriis terminis hanc quæstionem attigerunt de adoratione humanitatis Christi præcise et in abstracto conceptæ, definiunt posse adorari, quamvis non perfecta patriæ. Ita sentit D. Thomas hic, art. 2, præsertim in solut. ad 1, ubi afferens verba Damasceni, lib. 4, c. 3: *Caro ipsius suapte quidem natura, si subtili quadam cogitatione id, quod in oculos incurrit, ab eo, quod animo tantum ac ratione intelligitur, distinguatur, haudquaquam adoranda est, utpote condita*, addit D. Thomas: *Scilicet, adoratione patriæ*; et subjungit: *Et tunc sic intellectæ, ut separatæ a Dei Verbo, deberetur sibi adoratio dulciæ, non cujuscunque, sed cujusdam excellentioris, quam hyperdulam vocant*. Atque ita tenent etiam Cajetanus et alii moderni expositores D. Thom., et Palud., in 3, d. 9, q. 2, ubi etiam idem sentit Scotus, q. 1, § Quantum ad istum articulum, et clarius in solut. ad 1; Durand., q. 3; Almain, q. 1, concl. 4; latius et expressius quam cæteri, Gabr., q. 1, art. 2, et super Can., lect.

50; Cordub., l. 1, q. 5, dub. 3; Henric., Quodlib. 10, q. 6; Picus Murandul., in Apol., q. 3; Canisius, lib. 5 de B. Virgine, c. 15; et hæc sententia vera mihi videtur.

5. *Humanitas Christi potest a Verbo cogitatu fidei præscindi.* — Ut igitur hæc opinio declaratur et probetur, suppono, sine ullo errore vel deceptione in fide, et sine ulla injuria vel morali malitia, posse Christi humanitatem cogitatione præscindi a persona Verbi, id quod aperte sentit Damasc., cit. loco, et omnes Scholastici supponunt; et constat ex illo Aristotelis 2, Phys., text. 18: *Abstrahentium non est mendacium*, abstractione, scilicet, præcisiva. Unde, quamvis erraret in fide, qui ita conciperet humanitatem Christi sine Verbo, ut etiam divideret, negando illam esse unitam Verbo, tamen, qui illam præcise concipit, nimirum, de illa tanquam de quadam natura cogitans, et de Verbo tunc non considerans, neque etiam concipiens in illa aliquam personam, nihil cogitat falsum aut concipit, quamvis non plene et adæquate rem concipiat; sic igitur nulla est falsitas vel deceptio in hac præcisione. Quod vero neque ulla malitia in eo actu sit, per se notum videtur, quia sic cogitare de Christi humanitate vel anima, non est contra fidem, ut dixi, neque est contra charitatem, vel reverentiam Christo debitam, quia non semper tenemur ex charitate vel religione de illo cogitare; ergo licebit interdum considerare humanitatem ejus secundum ea quæ illi præcise conveniunt. Cui enim in hoc fit injuria? Non Verbo, quia, ut dixi, non tenemur semper de illo cogitare. Non humanitati ipsi, quandoquidem vere concipitur secundum ea quæ illi conveniunt, et ad ejus perfectionem et excellentiam pertinent, quamvis non concipiatur secundum omnia, neque fortasse secundum supremam excellentiam ejus, quia neque ad hoc etiam semper tenemur; sicut cogitantes de Deo, non male facimus præscindendo naturam a personis, vel unum attributum ab alio, nec semper de illo attributo cogitamus, quod, secundum rationem formalem suam, majorem dicit perfectionem.

6. *Sic præcisa potest de facto, ac de jure, adoratione prosegui.* — His addo, neque esse impossibile, neque per se malum adorare humanitatem Christi sic præcise conceptam et cogitamam. Prior pars de possibili per se nota videtur, tum quia nulla ostendi potest repugnantia; tum ex ipso usu, nam certe doctores, qui hanc adorationem docuerunt, eam

expertum sunt, sicut me etiam fateor eam experiri, neque melius existimo cognosci posse quam exercendo ipsam. Tum præterea quia, dum intellectus sic concipit humanitatem, concipit illam ut habentem animam rationalem, et potest etiam concipere ut habentem gratiam, et ut videntem Deum, ut postea dicam; ergo concipit illam ut rem veneratione dignam, atque adeo ut sufficiens objectum alicujus adorationis. Supposito autem objecto, ex parte hominis non deest facultas adorandi, ut per se notum est; est ergo possibilis hæc adoratio.

7. *Prima objectio solvitur.* — *Item secunda.* — Dicunt aliqui humanitatem sic conceptam non concipi ut existentem, nam existit existentia Verbi, et in illa sic præcise concepta non clauditur existentia Verbi; ergo ut sic non est adorabilis, quia non est adorabilis, nisi res existens. Respondetur imprimis falsum esse assumptum, ut patet ex supra dictis, q. 17. Deinde, etiam qui sentiunt humanitatem existere sola existentia Verbi, negant fortasse existentiam esse intrinsece necessariam in objecto adorabili, dicentque sufficere essentiam actualem et excellentem. Vel etiam dicere poterunt, concipi humanitatem ut existentem, præscindendo a particulari existentia qua existit. Dicit ulterius aliquis, ex D. Thoma hic, solum suppositum esse adorabile, quia adoratio per se tendit in rem subsistentem; sed humanitas ut sic concepta non est subsistens; ergo ut sic non est adorabilis. Respondetur, assumptionem intelligendam esse de adoratione omnino absoluta et completa; hæc enim proprie ac per se primo terminatur ad suppositum. At vero aliqua adoratio, vel respectiva, vel incompleta, ut sic dicam, potest terminari ad naturam, vel ad partem, si illa præcise concipiatur sub aliqua dignitatis ratione; nam tunc etiam quoad modum concipiendi apprehenditur per modum totius et quasi per se stantis; non quod in ipso objecto apprehendatur per se existentia; esset enim falsa apprehensio; sed quod in modo solitarie apprehendatur ad modum rei per se stantis; hoc ergo satis est ut tale objectum sit adorabile, si alioqui sufficientem habeat excellentiam et dignitatem.

8. Jam vero, supposita hujus actus possibilitate, quod per se malum non sit, ac proinde sit possibilis, non tantum facto, sed etiam jure, probatur, quia talis adoratio neque est prohibita jure positivo divino aut humano, nec jure naturali; ergo non est mala. Ante-

cedens quoad primam partem probatur primo, quia nullibi est scripta talis prohibitio, neque etiam traditione constat; et quidem de divino jure res est manifesta. De ecclesiastico vero dubitare quis posset, vel propter Concilia supra citata, quæ dicunt Christum hominem, una adoratione qua Verbum, esse adorandum, quæ est perfecta latría; vel propter usum Ecclesiæ, quæ non consuevit ita adorare Christi humanitatem, sed Christum Deum hominem unica adoratione. Verumtamen ex his nulla prohibitio colligi potest, nam, ut statim latius dicam, Concilia nunquam locuta sunt de humanitate Christi, ut abstracte et præcise concepta, sed de Christo homine; et adhuc de illo nullum jus positivum statuunt, sed tantum declarant doctrinam fidei, scilicet, quænam adoratio Christi ex mysterio incarnationis consequatur. Ex usu autem Ecclesiæ, ut in simili Cajet. hic notavit, ad summum colligi potest, publico ritu adorationem dirigendam esse ad Christum Deum hominem, quando, scilicet, ipsa interior intentio vel factis aut verbis sufficienter exterius et publice manifestatur: de privato autem modo adorandi, nihil peculiare Ecclesia statuit; neque solo usu aut consuetudine introduci poterit, quia hic usus potest esse varius et multiplex, quia, cum sit privatus, non constat cæteris quid unusquisque secreto faciat. Igitur ex positiva lege sublata pensandum hoc est, supposito lumine et principiis fidei. At ex his nulla potest colligi intrinseca malitia in tali actu, cujus sufficiens argumentum est, quod doctissimi Theologi, pii ac sancti, illam non invenerunt. Deinde inquiri quænam si hæc deformitas, aut contra quam virtutem sit. Maxime enim excogitari potest contra religionem seu observantiam, nam de cæteris virtutibus nulla potest esse suspicio; sed non est contra religionem, quia neque ex parte objecti; ostensum est enim habere sufficientem excellentiam, ob quam sit dignum aliqua adoratione. Neque ex parte subjecti adorantis, ut per se constat, quia est homo qui infinitis titulis debet Christo, et humanitati ejus, omnem reverentiam consentaneam dignitati ipsius. Neque etiam ex modo, quia in hoc potest homo observare convenientem mensuram et adorandi rationem, juxta ea, quæ statim dicemus; ergo ex nullo capite potest reperiri aliqua deformitas.

9. Et declaratur præterea, quia, si in eo actu est malitia contra religionem, vel est per excessum; et hoc non est necessarium,

ut per se constat, quia potest homo non plus adorare illam humanitatem quam par sit. Vel est per defectum. Et hic potest intelligi, aut respectu Verbi, aut respectu ipsiusmet humanitatis. Neutro autem respectu intervenit necessario defectus privativus, ut sic dicam, sed tantum negativus, qui nullam infert malitiam; ergo. Declaratur minor, nam respectu Verbi solum potest defectus in hoc constitui, quod per illam adorationem non per se primo adoratur. At vero hæc negatio non semper est contra aliquod affirmativum præceptum, quia absolute non semper tenetur homo Verbum aut Christum adorare. Neque etiam ex suppositione quod velit humanitatem ejus adorare; hæc enim obligatio neque ex intrinseca rei natura nascitur, neque ostendi potest præceptum unde oriatur. Et hæc ratione dixi hunc defectum esse negativum, non privativum, quia non est contra debitum, vel obligationem exercendi majorem vel perfectiorem adorationem. Eademque ratio est respectu humanitatis; non enim potest in ordine ad illam committi defectus, nisi quia non perfectissimo modo adoratur; hoc autem non est per se malum, quia non semper urget obligatio exercendi perfectissimam adorationem; unde, licet minus perfecta tribuatur, dummodo non sit indecens, neque aliena ab aliqua excellentia in objecto adorato inventa, non erit privativus defectus, sed mere negativus.

10. *Humanitati Christi a Verbo præcise conceptæ studiosius defertur honos, quam prætermittitur.* — Unde ulterius ostendi potest hunc modum adorandi humanitatem Christi, non solum non esse malum vel prohibitum, sed etiam esse melius sic adorare, quam omnino adorationem prætermittere, supposita præcisa consideratione et cogitatione humanitatis vel animæ Christi, quam supra ostendimus esse possibilem, et non malam neque indecentem. Itaque, si quis actu cogitet de Christo, et absoluta dignitate personæ ejus, non est cur adorando sistat in humanitate ejus, neque convenienter ita adoraret, imo vix potest, si recte sentiat de unitate personæ Christi in utraque natura; dum tamen abstracte et præcise considerat humanitatem Christi, et dignitatem ejus, durante hac sola cognitione, nam potest personam ipsam in se et per se adorare, quia non potest adoratio referri in objectum non cogitatum; refertur enim per affectum, et affectus non tendit in incognitum. Igitur, stante illa consideratione,

vel omnino ab adoratione cessandum est, vel adoratio ad humanitatem, prout præcise cogitur, referenda est; melius autem est hoc modo adorare, quam omnino non adorare; quod videtur per se manifestum. Primo ex ratione facta, quia ille actus ex objecto est bonus, et nullam habet malam circumstantiam. Secundo, quia per illum actum aliquis honor tribuitur Christi humanitati, et nullus major auferitur, quamvis actu non tribuatur; aliud est enim auferre, quod denotat denegationem majoris adorationis; aliud vero est actu non tribuere, quod solam præcisionem seu carentiam exercitii significat; et ideo illud esset malum, hoc autem non semper. Denique, ipso usu constat, dum quis præcise considerat animam Christi, ut beatissimam, et fruenter Deo longe excellentiori modo, quam omnes creaturas, statuit in corde suo venerari illam, seque illi libenter submittere, et hoc per se conciliat majorem devotionem, et religionem, quam si illa cogitatio in sola consideratione sistat sine ullo cultu. Et declarari etiam potest a simili: nam, stante illa consideratione, potest homo amare illam animam vel humanitatem, et cæteris paribus melius faciet amando, quam si in sola arida cogitatione sistat, quamvis illo amore per se ac formaliter non amet Verbum, sed humanitatem vel animam propter bonitatem, quam in ea considerat. Idem ergo erit, proportionem servata, de adoratione.

11. *Adoratio humanitati Christi præcise exhibita inferior latria summa.* — Tertio ex his manifeste concluditur, adorationem hanc, terminatam ad humanitatem sic conceptam, non posse esse supremam ac perfectissimam latriam. Ita docent omnes Scholastici supra citati, et est sententia Damas., l. 4 de Fide, c. 3, exponente hic D. Thom., a. 2, ad 4; et idem sumitur ex aliis Patribus, qui passim asserunt humanitatem non adorari latria perfecta, nisi quatenus coadoratur Verbo una eademque adoratione qua colitur Verbum, quia illi substantialiter conjuncta est, ut videre licet apud August., serm. 58, de Verb. Dom.; et Athanas., orat. 5 cont. Arian.; et alios, quos Claudius de Sainct. supra congerit. Et ratio est, quia humanitas, præcise concepta, non est Deus, nec divina natura; ergo, cum talis adoratio in ipsa ut sic concepta sistat, non potest esse suprema latria, quæ soli Deo tribuenda est; et hoc magis ex sequentibus constabit.

12. *Qualis sit hujusmodi adoratio.* — Supe-

rest enim declarandum qualis sit hæc adoratio, si perfecta latria non est, nam D. Thomas, dicta solutione ad primum, dicit esse hyperdulia; alii vero, præsertim Gabriel et Corduba, significant esse latriam minus perfectam. Advertendum ergo ulterius est, humanitatem Christi dupliciter posse cogitari et præscindi abstractione illa præcisiva, quam supra declaravimus. Primo, recogitando in illa sanctitatem et beatitudinem creatam, omnino præscindendo seu non cogitando de unione. Secundo, cogitando et considerando in illa singularem sanctificationem et dignitatem, quam habet ex unione ad Verbum. Quamvis enim hæc dignitas conveniat illi ratione Verbi, nihilominus potest in illa abstracte concepta considerari tanquam excellentia quædam et dignitas ipsius; præsertim cum ipsa unio modus creatus sit humanitatem afficiens, eamque sanctificans, et in excellenti quadam dignitate constituens. Omitto considerationem aliam ejusdem humanitatis, qua posset amplius abstrahi, et ab utraque excellentia gratiæ, tam unionis, quam habitualis, præscindi, et in sola suæ naturæ perfectione ac dignitate considerari, non quod hæc cogitatio et præcisio impossibilis sit, sed quod ad nullum genus religiosi et supernaturalis cultus, de quo nunc agimus, sufficiat, sed ad summum, ad illud observantiæ genus quo humanam naturam honorare possumus, eo quod ad imaginem Dei creata sit, de quo eadem erit proportionalis ratio, quæ de quocunque alio genere cultus.

13. *Quando Christi humanitas hyperdulia adoretur.* — Quarto igitur dicendum est, si in humanitate Christi sola creata dona gratiæ considerentur, et propter illa præcise adoretur, talem adorationem essentialiter esse dulia; tamen, quia in eo genere perfectissima est, hyperdulia appellari. Hoc, ut minimum, docet D. Thomas hic, et consentiunt reliqui Theologi supra citati. Et est consequenter evidens ex dictis præcedente sectione, et ex illo principio, quod talis est adoratio, qualis excellentia in qua fundatur; sed gratia et cætera dona creata sunt ejusdem rationis in humanitate Christi et in cæteris, quamvis in illa sint excellentiora intensive seu individualiter; ergo eam proportionem servat adoratio in eis fundata. Dices: illamet dona creata animæ Christi habent in ea specialem dignitatem, ob quam dicuntur habere quamdam infinitatem in esse gratiæ. Respondetur, illam dignitatem vel infinitatem convenire his donis creatis ex

unione ad Verbum, nunc autem in hoc genere adorationis considerari præcise et secundum se, abstrahendo ab unione, et ideo illam dignitatem non immutare seu variare hanc adorationem, quia non in illa dignitate vel infinitate fundatur, sed præcise in excellentia et perfectione, quam gratia creata, vel beatitudo Christi habent in propria ratione.

14. *Quando colatur latria.* — Ultimo dicendum: si humanitas Christi, abstracte et præcise concepta ut natura est, adoretur, ut adorari potest, propter dignitatem unionis, adoranda est adoratione latriæ, non primaria et eximia, sed secundaria et minus perfecta, quæ diversa est ab hyperdulia, præcedente conclusione explicata, quamvis interdum soleat ea voce appellari, in ea significatione, qua omnis adoratio minor suprema latria, et major communi adoratione Sanctorum, solet hyperdulia vocari. Probatur conclusio sigillatim quoad singulas partes; et primam quidem negativam, scilicet, quod, hoc titulo præcise considerato, non debeat humanitati suprema latria, præter Gabrielem, Cordubam, et alios auctores supra citatos, ex his, qui in contrarium referuntur, clare docet Claudius de Sainct., dicta repet. 9 de Euchar., c. 3, ubi inter titulos, quos ponit, adorandi carnem et animam Christi, ultimus est, *quia maximam cum divinitate inveniunt societatem*; quibus verbis unionem hypostaticam describit, et subdit: *Propter priores causas Christo homini, animæ, et carnî ejus unica cum Filio Dei dispensatur latria, propter unicum suppositum Filii Dei latriæ fundamentum, quod omnibus assumptis fit commune; propter ultimam vero allatam causam, si non latria, saltem hyperdulia postulat; quoniam, quamvis natura humana in divina existentia et persona hæreat, non transit tamen in esse divinum et naturam divinam, ut Deus dicatur et colatur.* Unde facile probatur ratione hæc pars, quia, licet humanitas per unionem effecta sit natura Verbi Dei, non est tamen effecta natura divina, neque est tantæ majestatis et excellentiæ, quantum est illa, quantumvis affecta unione seu sub relatione unionis consideretur; ergo adoratio debita humanitati hoc titulo, seu ratione gratiæ unionis, non est suprema latria; patet consequentia, quia adoratio proportionatur excellentiæ in qua fundatur; sed hæc adoratio non fundatur in excellentia simpliciter suprema; ergo neque ipsa est suprema latria. Et confirmatur ratione supra indicata, nam filiatio naturalis, quæ convenit Christo

ut homini ratione gratiæ unionis, minus excellens est quam filiatio naturalis, quæ convenit illi ut Deo ratione æternæ generationis; ergo similiter sanctificatio humanitatis per gratiam unionis longe minor est quam sanctificatio per essentiam, quam Verbum seu natura divina per se habet; ergo adoratio debita humanitati, etiam ratione sanctificationis per gratiam unionis, longe minor est quam adoratio divinitatis per seipsam.

15. Rursus quod possit Christi humanitas hoc præciso modo concipi, et alia minori adoratione hoc titulo coli, et facto et jure, facile ostendi potest, applicando rationes factas in duabus primis assertionibus; nam hæc præcisiva consideratio humanitatis non involvit aliquam repugnantiam, maxime in nostra cognitione abstractiva et imperfecta, qua possumus rem etiam indivisibilem consideratione partiri, nedum res in seipsis distinctas. Unde hoc modo possumus etiam ipsam naturam divinam præcisam a Verbo et aliis personis considerare; ergo multo magis poterimus sic abstrahere naturam humanam, etiam si in ea unionem consideremus, quia etiam ipsa unio est res a Verbo distincta, quamvis ad illud dicatur habitudinem, quod non obstat, ut statim declarabo, neque in hac præcisione intervenit deceptio, cum abstrahentium non sit mendacium. Posita vero hac consideratione illius humanitatis, quod secundum eam merito adorari possit, patet discursu supra facto, quia in illo objecto est sufficiens dignitas, et nulla obstat prohibitio, neque aliunde aliqua deformitas necessario adjungitur. Et declaratur illo divinitatis exemplo, nam divinitas præcise et abstracte concepta adoranda est, quia in illa est sufficiens excellentia ob quam adoretur, etiam si a relationibus præscindatur; ergo idem erit de humanitate, proportionem servata. Intercedit enim differentia, primum in hoc quod divinitas, quantumvis abstrahatur a personis, est per se digna suprema adoratione latriæ, quia ex se, et non a relationibus habet infinitam et supremam excellentiam; humanitas vero præcise considerata, quantumvis sancta et unita apprehendatur, non habet tantam excellentiam, neque est digna tanta adoratione; tamen, sicut aliquam excellentiam retinet, ita digna est proportionali adoratione. Deinde est alia differentia, quod divinitas, ut summe excellens, potest non solum abstrahi a relationibus, sed etiam ab ordine ad illas, et apprehendi ut natura per se subsistens, et per